



**Corpus Juris Canonici, Per Regulas Naturali Ordine  
Digestas, Usuque Temperatas, Ex Eodem Jure, Et  
Conciliis, Patribus, Atque Aliunde Desumptas, Expositi**

Opus, Tum In Rebus Obscuris Claritate, Tum Dispersis Collectione ac  
delectu, in contrariis conciliatione, eximium, simulque Indicibus ac  
Præfationibus, Notisque quamplurimis & exquisitis illustratum, ; In Tres  
Tomos divisum

Complectens Prolegomena Ad Jus Canonicum In Se Et Universim  
Consideratum

**Gibert, Jean-Pierre**

**Coloniæ Allobrogum, 1735**

Sectio I. Quid sit, & quotuplex Rescriptum?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74413](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-74413)

2. Constitutio exequens aliam ab ipsius Contentis Superiore editam similiter, ligat aequaliter, tam Contentem, quam ipsi Subditos. *Citatus Canon huic Constitutionis generi accommodari potest.*

3. Constitutio novum Jus condens circa res nondum praeceptas, nec vetitas, ligat aequaliter Conditoris Subditos; sed cum sibi Legem imponere non possit, cum careat Jurisdictione in se ipsum, Condens in illa non comprehenditur, eodem salem modo, quo sibi Subditi, cum isti ex justitia illam teneantur servare, ille vero tantum ex honestate, in modo nec ad istud quoad penas obligatur.

4. Praelati Inferiores nedum tenentur Superiorum Leges servare, sed etiam invigilare, ut a suis Subditis custodiantur, cum ad hoc aliis partim praeficiantur, unde duplii vinculo tenentur.

Ex his Notatis sequitur, quod pro Regula aliud, hac in re, dari nequit, nisi quod Lex Omnes sibi Subditos aequaliter ligat, pro qualitate Personanum Rerumque, circa quas veratur: eoque modo explicandum Cap. I. de Constitutionibus, Canonum Statuta ab Omnibus custodianter, & nemo in Actionibus, vel Judiciis Ecclesiasticis suo sensu, sed eorum auctoritate ducatur.

Nec refert, quod indistincte loquatur; nam locutiones generales pro subjecta materia, illius exentijs interpretanda sunt, unde, eti Judices omnes iuxta Leges judicare teneantur, permititur Majoribus Magistratibus ex circumstantiis a Legibus recedere, non item Minoribus. *GONZALES in hoc Cap. 13. versus finem. Id infert ex Authentica Hodiè. C. de Judic.*

## TITULUS X.

### DE RESCRIPTIS.

#### CAPUT I.

*Continens Regulas sive Decisiones à Jure propriis verbis defumptas.*

**R**escripti nomine intelliguntur Speciale quoddam Mandatum, quod à Principe impetratur, seu ad Judices obtinendos pro finiendis Litibus, seu ad Beneficium aut Gratiam quamcumque consequendam: *Prius* appellatur Rescriptum Justitiae; *Posterior*, Rescriptum Gratiae.

De Rescriptis Pénitentiariae Romanae, vide Bullam LIII. PII. IV. In sublimi. anni 1562. Bullarii Tom. II. p. 69.

Hic porrò præcipue agimus de Rescriptis, quæ à Sede Apostolica, sive à Romano Pontifice emanant, quorum frequens in Gallia usus, sive cum appellatur à Sententiis Ordinariorum, sive cum impetrantur Dispensationes, Absolutiones, & alia Gratiae obtinentur.

Rescripti Exemplar Epistola JOANNIS VIII. 122. Tom. IX. Conc. pag. 90. Multis autem nominibus haec Rescripta solent in Jure appellari, aliquando enim simpliciter dicuntur *Litteræ Apostolice*, aliquando, *Mandata*, *Commissiones*, *Decreta*, *Litteræ Justitiae*, *Beneficia Gratiae* &c. In quibus omnibus, haec potissimum spectari possunt, scilicet Narratio eorum, qua petuntur, ut vera sit Forma Mandati, quæ Gratiam vel Judices concedit, & ejusdem Executio qua ratione fieri debeat.

#### SECTIO I.

*Quid sit, & Quotuplex Rescriptum?*

I. **U**bi certum nihil expressum est, nihil certum inde Papa potest respondere. *De Sponsalibus Cap. de Muliere.* LIB. IV. DECR. TIT. I. CAP. 6. fin. II. Rescriptum Gratiae est, cum gratiose aliquid à

Romanico Pontifice conceditur. *In VI. de Rescriptis C. si gratiose. init. LIB. I. TIT. III. Cap. V.*

III. Gratia est, quam super Beneficio à Sede Apostolica aliquis impetravit. *ibid. Cap. 7. Gratia. init.*

IV. Litteræ Justitiae, sunt Litteræ ad Judices datae. *de Filiis Presbyterorum. Cap. Ex sua. LIB. I. DECR. TIT. XVII. Cap. 9.*

V. Litteræ Apostolicae Justitiam continent, per quas dati Judices in Causis Personarum, possunt, iuxta earum tenorem provide procedere. *EXTRAVANG. JOAN. XXII. De Concessione Præbenda Cap. Sedes. in fin. TIT. IV. C. 1.*

VI. Litteræ, quæ de simplici Justitia formam habent, possunt facile obtineri. *De Crimine falsi. Cap. accedens LIB. V. DECR. TIT. XX. Cap. 8.*

VII. Papa motu proprio alicui Gratiam facit, & Gratia hujusmodi de sua merita liberalitate procedit. *In VI. de Præb. Cap. si motu. LIB. III. TIT. IV. Cap. 23. Papa ad petitionem alicuius, vel alterius pro eo oblatam, gratiam facit. ibid.*

VIII. Litteræ sunt Monitoriae, Praeceptoriae alicui, & Executoriae, contraria aliquem, alii directæ. *De Rescriptis. Cap. Ex Insinuacione. LIB. I. DECR. TIT. III. Cap. 37.*

IX. Speciale Mandatum derogat Generali. *De Rescriptis. Cap. Sicut. C. Pastoralis. LIB. I. DECR. TIT. III. Cap. I. & 14. De Officio Legati. Cap. Studiisti. §. Responsu- demus. LIB. I. DECR. TLT. XXX. Cap. 2.*

X. Decreti irritant Forma est, cum in eo apponitur Clavula (etiam inane Decernentes & irritum) Si secus à Quoquam quivis auctoritate contigerit atten- tari. *CLEMENTINARUM de Concessione Præbenda Cap. unico. init. Colligitur. LIB. I. TIT. III. Cap. un.*

XI. Decretum Conlitionale est, cum mandatur aliquid, si res quæpiam fiat. *CLEMENTIN. De Concess. Præb. Cap. un. LIB. III. TIT. III. Cap. unico. Collig- gitur.*

XII. Decretum Conditionale in eventum duntaxat postularum Conditionum suum fortuit effectum. *ibid.*

XI. Rescriptum sub Conditione datum, non fortuit effectum usque in Conditionis eventum. *De Rescriptis Cap. Si pro te. LIB. I. DECR. TIT. III. Cap. 13.*

XIV. Si pendente Conditione, Alius Gratiam purè impetrat, præferri debet ei, qui posuit Conditione alias obtineret. *ibid.*

#### SECTIO II.

*De veritate Narrationis in Rescriptis.*

I. **R**escripta, quæ subreptione vel falso precibus forsan impetrantur, nullum possunt Suppli- cantibus ferre remedium. *Caus. XXV. Quæst. II. Cap. 16. Dicenti.*

II. Litteræ per malitiam & mendacium obtenta non valent. *De Rescriptis Cap. Sedes LIB. I. DECR. TIT. III. Cap. 1.*

III. Litteræ per Veri suppressionem, sive tacita Veritate, obtenta, non valent nec conferunt Jurisdictionem. *de Filiis Presbyterorum. Cap. Ad presentiam LIB. I. DECR. TIT. XVII. Cap. 2.*

IV. Subreptio confetur, cum tacitum est, quod, si fuisset expreßum, obtineri minimi potuisset. *De Sententiis & Re Judic. Cap. Cum inter. §. Cum consti- tute. med. LIB. II. DECR. TIT. XXVII. Cap. 20.*

V. Qui per fraudem vel malitiam, falsitatem exprimit, vel supprimunt Veritatem; nullum ex illis Litteris Commodum in sua Perveritatis penam con- sequuntur. *De Rescriptis. Cap. Super Litteris. LIB. I. DECR. TIT. III. Cap. 20.*

VI. Cum aliquis illa expressit, & suppressit, quæ si fuissent tacita, vel expresa, tales Litteras minimè dedissemus; per hoc appetit, ipsum exitissime indignum Gratiam, quam duxeramus ei ex Benignitate Apostolica faciendam. *De Temporibus Ordinat. Cap. Dilectus. fin. in init. LIB. I. TIT. XI. Cap. 15.*

VII. Si